

**De apoplexia. Dissertatio inauguralis medico-chirurgica / quam ... defendet  
auctor Carol. August. Henr. Bodinus.**

**Contributors**

Bodinus, Karl August Heinrich, 1814-  
Humboldt-Universität zu Berlin.

**Publication/Creation**

Berolini : Typis Nietackianis, [1837]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/y8559k7d>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

C.A.H. BODIN

De apoplexia

Dissert., Berlin

1837

58,433 / .3 86.99. 1800





Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b28744196>





DE  
**APOPLEXIA.**

---

**DISSERTATIO**  
**INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA**  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**  
IN  
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE  
FRIDERICA GUILELMA  
UT SUMMI  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR  
*DIE IV. MENS. AUGUSTI A. MDCCCXXXVII.*

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

**CAROL. AUGUST. HENR. BODINUS**  
POMERANUS.

---

**OPPONENTIBUS:**

C. RIESEBERG, MED. ET CHIR. DR.  
O. DUNCKER, MED. ET CHIR. CAND.  
L. NATORP, MED. ET CHIR. CAND.

---

**BEROLINI,**  
TYPIS NIETACKIANIS.

1837

APOLIXIA

STRENGTH

IN KIDNEY AND BLADDER

CONCENTRATED

PREPARED BY DR. J. C. HARRIS

NEW YORK

100 N. 3RD ST.

PHILADELPHIA

SOLE AGENTS

W. B. ALLEN & CO.

NEW YORK

100 N. 3RD ST.

PHILADELPHIA

PAID BY

ALL

CANAL ALBERT



347730



**VIRO CELSISSIMO, GENEROSISSIMO**  
**COMITI DE**  
**SCHWERIN - PUTZAR,**

**FAUTORI SUMMOPERE COLENDO**

H A S C E

JUVENILIS INGENII PRIMITIAS

SUMMA CUM REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.



---

## P R A E F A T I O.

---

**A**poplexia cum haud raro homines corripiat correptisque fere semper repentinam mortem inferat, ita ut ad eam sanandam tota medici et cura et ars sit necessaria, semper animum meum ad studium promptius allexit, cumque in Clinico saepius mihi data esset ejus observandae occasio, eam luculentius illustrandam ex magno morborum grege desumsi, non ut novi aliquid de ea scribere gestiam, sed ut antiquitus tradito mori satisfaciam, quo eos, qui summos in medicina et chirurgia honores sibi deferri cupiunt, aliquid de re qualibet medica scribere decet. Quid enim est, quod cum viris doctissimis atque experientissimis, qui inde ab antiquissimis temporibus usque ad nos de apoplexia scripserunt, me, medicinae tantum initiis imbutum, comparandi copiam mihi faciat! Itaque rogo atque obsecro lectores benevolos, ut hasce primitias juvenilis ingenii, quae cum illorum virorum scriptis comparatae pro vilibus habendae sunt, humaniter atque indulgenter dijudicent.



Priusquam ad accuratiorem hujus morbi expositionem me accingam, generalia quaedam de nominibus, natura et origine praemittere, a re haud alienum existimo.

### NOMINA MORBI ET DEFINITIO.

Nomen apoplexia, ex lingua Graeca depromptum, derivatur a verbo ἀποκλήσσω, i. e. ictu obtundo. Alia hujus morbi nomina sunt: Morbus attonitus, gutta, resolutio nervorum, sideratio, apilepsis, paralysis etc.

Apoplexia in universum significat morbum, quo nervorum systematis partium centralium actio repente opprimitur et prorsus elevatur, quique, prout in una vel altera nervorum systematis parte exoritur, consentaneum accipit nomen. Sensu strictiori apoplexia is status morbosus est, quo, etsi cerebro repente resoluta conscientia, sensus et motus deficiunt, sanguinis circulatio et respiratio, etsi magis minusve a norma alienatae, saepe perdurant.

### LITERATURA.

Quamquam multi auctores de apoplexia scripserunt, tamen gravissimos tantum eorum memorandos censeo:

Boerhaave, aphor. 1007—1035.

J. J. Wepferi, historiae apoplecticorum, observationibus et scholiis anatomicis et medicis quam plurimis elaboratae et illustratae. Amstel. 1724.

Marquet, Traité de l'Apoplexie, Paralysie et autres affections soporeuses, développées par experience. Paris 1770.

Steward, diss. de apoplexia. Edinb. 1787.

Chandler, Versuch über die verschiedenen Theorieen und Heilmethoden bei Schlagflüssen und Lähmungen, aus dem Engl. Stend. 1787.



- Franc. Zuliani de apoplexia, praesertim nervea, commentarius.  
Edit. nov. Lips. 1790. 8.
- H. F. Ingenhous, über den Schlagfluß und die verschiedenen  
Arten desselben in d. Holl. Museum für Deutschl. Aerzte u.  
Wundärzte. Bresl. Bd. 1. 1794.
- Th. Percival, pract. Bemerk. über den Schlagfluß, aus dessen  
Essais med. philosoph. etc. in der Samml. auserlesener Schriften  
für pract. Aerzte. B. 15.
- J. Ottensee, v., Erkenntnifs und Heilung des Schlagflusses und  
der Laehmung, mit einer Vorrede von Fritze. Berlin 1805.
- K. Fr. Burdach, die Lehre vom Schlagfluß, seiner Natur, Er-  
kenntnifs, Heilung. Leipz. 1806.
- Fr. Em. Foderé, de apoplexia disquisitio theoretico-practica.  
Aven 1808.
- Ant. Portal, observations sur la nature et le traitement de l'apo-  
plexie. Paris 1811.
- Rochoux, recherches sur l'apoplexie. Paris 1815.
- K. Hohnbaum, über den Lungenschlagfluß, nebst einer Ein-  
leitung über den Schlagfluß überhaupt. Erlang. 1817. 8.
- Chr. Glo. Hopf, Versuch eines Umrisses der Hauptgattungen des  
Schlagflusses und ihrer Behandl. Stuttg. 1817. 8.
- Bricheteau in: Journal complémentaire du dictionnaire des  
sciences méd. Tom. 1. Paris 1818. p. 129—289.
- Abhandlung über den Schlagfluß oder die Gehirnblutung etc. von  
Et. Moulin, a. d. Franz. übers. u. m. Anmerk. begleitet von  
Carl Caspari. Leipz. 1821. 8.
- Handbuch der speciellen Pathologie und Therapie von Conradi.  
Marburg 1828. Tom. 2.
- Die specielle Therapie nach den hinterlassenen Papieren des ver-  
storbenen Dr. Aug. Gottl. Richter herausgegeben von Dr.  
Georg Aug. Richter. Wien 1830. Tom. 3.
- Lehrbuch der speciellen Pathologie u. Therapie des Menschen v.  
Ludw. Choulant. Leipz. 1835.

## DECURSUS MORBI IN UNIVERSUM.

Apoplexia est morbus, qui, priusquam homines summa  
violentia adgreditur, aut prodromos per longius breviusve  
tempus praemittit, aut statim impetum facit, quo vitam



ipsam aut functiones singulorum organorum prosternere solet. In genere quadruplex morbi decursus discernendus est:

1) Morbus impetu suo statim mortem inducit, ita ut aegrotus vertigine, tremore corporis, doloribus cervicis et dorsi trahentibus, spasmis affectus, velut fulmine tactus, mortem occumbat; unde morbo nomina apoplexiae fulminantis, praecipitis, Theoplegiae, resolutionis nervorum, paralyseos universalis, apoplexiae exquisitae, rel. indita sunt.

2. Decursus morbi varia stadia praebet, e quibus stadium prodromorum longius tempus, sive horas nonnullas, sive multos dies, perdurat. Quorum signa maxime memoratu digna brevibus his verbis complectar: saepius aegrotus vertigine corripitur, ut post labores exiguos, ne humum prosternatur, timendum sit, sanguis vehementer caput petit, qua congestione dolores capitis pulsantes oriuntur. Visus vario modo alienatur, modo enim fulgores et scintillae, modo colores diversi, modo res externae nebula opaca involutae apparent; aurium susurrus, sonitus et tinnitus oriuntur; totius capitis gravitatem sentit aeger et magna somnolentia tentatur. Memoria aegroti labefactatur, ita ut, quae modo cogitavit, momento citius obliviscatur. Saepe etiam singularem nervorum antecedunt paralyses, praecipue eorum, qui in facie sedem habent, ita ut nunc angulus oris distorqueatur, nunc palpebra superior delabatur phaenomenaque similia observentur. Brevi ante ipsum impetum tempore plerumque omnia symptomata morbi augescunt et cum balbismo saepe convulsiones labiorum atque artuum



oriuntur, ex ore salivae guttae profluunt, raro salivatio largior (1) advenit.

Impetum ipsum magna vertigo, gravitas linguae aut alalia, difficultas spirandi et angor comitantur, inter quae aegrotus prorsus obstupescit prosternitur, facie aut maxime rubente, aut pallescente. Omnis conscientia et sensus aufugit, respiratio est tarda, singultuosa, saepe intermittens. Ceterae vitae actiones pro singulari morbispecie variant. Morbus huncce decursum persequens tres habet exitus: aut necat impetu ipso, aut morbos secundarios infert, aut in valetudinem transit. — Exitus in sanitatem raro solis naturae viribus adducitur, sed fere semper auxilio medici opus est; inter morbos secundarios memoratu dignissimi sunt morbi mentis, paralyses sensuum organorum, membrorum singularium et vitae vegetativae instrumentorum.

3) Impetus apoplecticus interdum sine magna cerebri perturbatione, quae modo in transitoria oppressione cerebri et defectu conscientiae cernitur, atque partium singularium paralyses relinquit, oritur. Huncce apoplexiae gradum apoplexiam incompletam, parapoplexiam, vocamus.

4) Vis cerebri atque conscientia non supprimuntur, sed singulares modo partes paralysibus corripiuntur, quae aut idiopathicae observantur, aut graviores apoplexiae gradus sequuntur (2).

---

(1) Wepfer, 1. c. obs. 12.

(2) Specielle Therapie nach den hinterlassenen Papieren des Dr. Aug. Gottl. Richter herausg. v. Dr. G. Aug. Richter Bd. 8.



## VISA REPERTA.

Omnia, quae sectiones apoplexia defunctorum offerunt, comparantes, diversissimas hujus morbi causas existere multisque in casibus fabricam anatomicam parum lucis suppeditare, fateri debemus. Saepe enim nulla pars organica destructa esse videtur, id quod praecipue in apoplexia ex adynamia systematis nervorum prodeunte accidit. Quae in cadaveribus offeruntur, hae fere sunt mutationes:

Saepe cerebrum ejusque tunicae sanguine adeo op-pletae reperiuntur, ut inter sectionem magna sanguinis atque seri copia ex substantia profluat, eum saepe in modum, ut ventriculi etiam sanguine abundant (3). Simul magna vasorum cerebralium luminis amplificatio et tunicarum extensio, fere varicum more, invenitur non raro sine ullo sanguine extravasato. Sinus durae matris interdum omnino vacui apparent, vasis cerebri magna sanguinis copia abundantibus (4). Raro tamen omnia cerebri vasa absque statu morbo inania conspiciuntur (5). Interdum parietes vasorum ossificati, sanguine turgescen- tibus vasis saepe in ventriculis serum et aqua simulque in parietibus eorum excoriationes adsunt (6). Sanguinem extravasatum in cerebri cavitatibus, quae novae in sub-

---

(3) Morgagni, de sedibus et causis morborum. Lugd. Batav. 1767. aus dem Latein. übersetzt von G. H. Koenigs- doerfer und vom 2ten Theil an, von Herrmann. Altenburg 1771 — 76. 5. Bd. Epist. III. No. 14 — 26.

(4) Morgagni, l. c. ep. VII. No. 24.

(5) Petzold, dissert. de Apoplex. ex inanitione vasor. cerebri. Goetting. 1735.

(6) Morgagni, l. c.



stantia ejus formentur, existere propriisque vesicis contineri posse, jam Morgagni (7) et post eum Riobé, Rochoux et alii tradiderunt, quae quidem cavitates resorpto sanguine sensim evanescent. Sanguinis extravasationes in superficie cerebri, sub Arachnoidea atque in ventriculis, non primarias oriri, sed ruptura cavittatis in substantia cerebri formatas et sanguine repletas effici, Bricheteau (8) contendit. Sed praeter sanguinem alia in cavitate cranii et substantia cerebri fluida inveniuntur, e quibus praecipue serum et pus, quod et in cerebro et cerebello existere posse Willis docuit (9), nec minus tumores cysticos, apoplexiae causis interponi debere, varii scriptores recte adnotant (10). In universum cerebri substantia simillima est ei, quae inflammatione cerebri defunctorum esse solet, nam uberrimis humoribus repleta et colore multo magis saturato praedita est. Praeter has, quas modo memoravimus, aliae in aliis corporis regionibus occurrunt abnormitates, quarum paucis modo verbis mentionem faciam. In cavitate pectoris nimia cordis amplitudo, ruptura cordis ejusque vasorum aneurysmata (11), ossificatio valvularum, praecipue mitralium (12), aliarumque cordis partium, nec minus concretiones pulmonum, pleurae et diaphragmatis perscrutantibus haud raro obvenerunt. Non solum au-

---

(7) Morgagni, l. c. epist. III.

(8) Bricheteau, l. c. p. 291.

(9) Abhandlungen für practische Aerzte Bd. 1, Jr. 3. p. 127.

(10) Lancisi de subita morte pag. 28. — Engel in Schmuckers vermischten Schriften. Th. I. p. 224.

(11) Morgagni l. c. ep. III. No. 26.

(12) Filling, Hufelandi Journal Bd. 15. St. 1. p. 354.



tem in pectore, sed in abdomine etiam multa, quae morbum adducere potuerunt, deteguntur, in quibus magnae vasorum varicositates (13) et aneurysmata, nimia renum magnitudo, qua aorta comprimebatur, affectiones intestinorum atque viscerum diversissimi generis (14).

### AETIOLOGIA.

Inter causas apoplexiae disponentes praecipue referendus habitus est, quem apoplecticum vocamus, capite majori, collo breviori, magna humorum et sanguinis copia, propensione ad obesitatem, facie plena, plerumque valde rubra, brevibus sed crassis membris, neque minus abdomine plethorico et amplo insignis. Qua cum constitutione congestiones sanguinis ad caput indeque orta epistaxis frequens, dolores capitis pulsantes, sensuum alienationes aliaque signa, ex plethora ingente derivanda, conjuncta sunt. Ille habitus apoplecticus cum saepe per totas familias inveniatur, nomen hereditarii accepit. At non semper in apoplexia defunctis talem constitutionem observamus, saepe enim nonnisi sectione, imo ne hac quidem semper, causam cognoscimus. Magni momenti porro sunt morbi ex mala et morbosa sanguinis indole profluentes, ut nimia sanguinis venositas, haemorrhoides, arthritis, rel. Vitia organica cordis et vasorum majorum, ossificationes, aneurysmata atque amplificatio luminum, compressiones eorum, causis mechanicis aut tumoribus inductae, destructiones viscerum abdominalium, debilitatio virium systematis nervorum morbis praegres-

---

(13) Bang, diar. 1785. Mart. II.

(14) Bonetus, Sepulchretum anat. obs. 42. p. 114.



sis et nimis humorum, sanguinis, praecipue seminis dispendiis exorta, maxime ad apoplexiam corpus opportunum reddunt. Quamquam sexus in procreando morbo non magni momenti esse videtur, tamen viros huic morbo magis quam feminas obnoxios esse, observatum est; quod ad aetatem pertinet, homines juniores minus, quam aetate proveciores ad huncce morbum proni feruntur, praecipue autem post annum quadragesimum dispositio eminet.

Causae occasionales creberrimae sunt: Constitutio atmosphaerae, quae rara tamen ab auctoribus memoratur (15); praecipue calidiores menses, sicuti vernum et autumnale tempus morbo favent. Praeterea insultum apoplecticum inferunt nimii corporis labores, quibus congestiones ad caput efficiuntur, potus excitantes, animi pathemata graviora, ut ira, tristitia, terror, laetitia; porro spasmi, febres intermittentes, commotiones cerebri, suppressae se- et excretionès, praecipue retentiones mensium, fluxus haemorrhoidalis (16), lochiorum, lactis, sudoris, repressa exanthemata et acuta et chronica, refrigerationes. Non minus huc pertinent nimiae evacuationes, haemorrhagiae, diarrhoeae, extravasationes in substantia cerebri, exitus encephalitidis in ulcerationem et hydrocephalum, venena narcotica (17), abusus spirituo-

---

(15) Agathias de bello Gothico in Hugonis Grotii histor. Gothorum. p. 568. — F. Hoffmann, medic. ration. system. tom. II. p. 2. sect. 2. pag. 529. Jahn Klinik der chronischen Krankheiten. Bd. 1, pag. 338.

(16) Schmid, Diss. sistens virum apoplexia extinctum ab haemorrhoid suppr. Alt. 1723.

(17) Emmert, über die Wirkungsart der Gifte in Autenrieths und Bohnenbergers Tübing. Blatt. Band 2, pag. 88.



sorum, acres et narcotici quidem odores (18). Morbi gastrici, circuitus sanguinis in abdomine impeditus, vermes, obstructiones alvi, morbum adjuvant. Haud minus plerumque ii, qui aut aqua, aut aëre irrespirabili, aut suspendio suffocantur, apoplexia corripiti solent.

De causa proxima et nunc et ab antiquissimis inde temporibus variae exstiterunt auctorum sententiae. Veteres cerebrum aut nimio calore, aut refrigerio laborans, aut nimia bilis acrimonia, apoplexia percuti putarunt (19); alii apoplexiae indolem in commercio inter substantiam medullarem et corticalem sublato posuerunt (20). Plerique aetatis mediae medici compressionem cerebri humorum stagnatione pro apoplexiae causa habuerunt, unde apoplexiam ex haemorrhagia originem ducere opinati sunt (21), quae sententia non minus probanda est, quam illa, quae acrimoniam et putredinem sanguinis in cerebro accumulati morbi causam proximam sistere statuit (22). Multas alias easque diversissimas hac de re sententias afferre haud difficile foret, quum autem singularum veritatem et fidem explorare meum non sit, ea tantum, quae mihi optima et maxime probanda videntur, proferam. Cerebri functiones et mechanica causa et dynamica magis minusve perturbari et denique omnino exstingui posse, nemo negabit. San-

---

(18) Heisters medic. chirurg. und anatom. Wahrnehmung. Bd. I. pag. 792.

(19) Hippocrates de morbis Lib. II. cap. II. p. 55.

(20) Burserius institutiones vol. III. §. 75. p. 59.

(21) Cullen, first lines of the practice of Physic. Ed. 1779. Vol. II. p. 154.

(22) Weickart, vermischte medic. Schriften. Th. I. p. 83.



guis, omnis vitae fons genuinus, cerebri vitam aut nimia in cranio accumulatione, aut dissolutione, aut perversa inter substantiam cerebralem et sanguinem ipsum reactione, interrumpere et omnino frangere potest, quod primum in apoplexia sanguinea accidere videmus, ubi cerebrum tum nimia sanguinis copia quasi suffocari, tum mala sanguinis indole deleri potest. Ut in pathologia generali tres morborum sedes, vitam irritabilem, vegetativam et dynamicam, agnoscimus, ita hoc quoque in morbo generatim tres causas constituere possumus, quae autem saepe non singulares exstant, sed aliae aliis magis minusve mixtae esse solent. Apoplexia sanguinea, princeps atque frequentissima morbi forma, aut ex nimia irritabilitate sanguinis, congestionibus, nimia plasticitate atque diathesi phlogistica, aut contra ex debilitate totius sanguiferi systematis, oritur; porro sanguis talibus materiis mixtus est et talem habet indolem, ut aut malam cerebri in reliqua organismi systemata evocet reactionem, aut vitam cerebri ipsam tollat; aut denique sanguis in cerebro per spasmum retineri potest (23), unde mors aut mechanica compressione aut dynamicis et chemicis causis adducitur. Cerebri actio, quamquam intimum cum sanguine nexum alit, tamen per se apoplexiae causam praebere potest duplici modo: tota vis vitalis causis jam antea commemoratis adeo debilitata, ut ad omnia systemata organismi sustinenda non sufficiat, aut tantopere excitata est, ut spasmus cerebri et totius nervorum systematis oriatur, unde duae species

---

(23) De vulgari aetiology apoplexiae valde ambigua et fallaci. Vitemb. 1794.



apoplexiae singulares discerni possunt: apoplexia asthenica nervosa stricte dicta et apoplexia spastica (24). Hae morbi causae generales non semper singulares existunt, sed aut aliae aliis, aut singulae aliis conditionibus morborum junctae esse possunt, unde tam variae nobis esse videntur, ut omnes enumerare longum foret. In universum igitur essentiam morbi breviter constituunt hae causae: Impedita et compressa vis cerebri per insultus externos, commotionem, ictus, fracturas et depressiones ossium cranii, corpora aliena aliasque causas tum per nimiam capitis humorum quantitatem, praecipue sanguinis, qua aut cerebrum mechanice comprimitur, aut mutua inter sanguinem et substantiam cerebri reactio interrumpitur; denique per tantam virium, praecipue systematis nervorum, consumptionem, ut causis sufficientibus adjectis omnino confecta, processum vitalem sustinere non possit.

### DIVISIO MORBI.

Cum divisio morbi e causis occasionalibus desumpta nullo modo medici practici desideriis satisfacere possit et, quae a rebus atque signis externis petitur, vilis esse videatur, nullo modo apoplexiae specierum ingentem numerum probare possumus; qui secundum sedem solam apoplexiam dividere velit, haud plus proficiet, nisi naturam morbi ipsam perscrutetur. Omnibus igitur, quae ad causas occasionales et proximam pertinent, examinatis hanc divisionem in praxi utilem fore existimamus:

---

(24) Richter, specielle Therapie. Bd. 8.



## 1) Apoplexia ex suppressione cerebri.

- a) apoplexia sanguinea
- b) apoplexia serosa
- c) apoplexia ex compressione cerebri mechanica.

## 2) Apoplexia nervosa.

- a) apoplexia adynamica seu asthenica
- b) apoplexia spastica.

## 3) Apoplexia mixta.

- a) apoplexia nervoso-sanguinea
- b) apoplexia ex commotione
- c) apoplexia ex vitiis organicis
- d) apoplexia metastatica
- e) apoplexia gastrica
- f) apoplexia ex veneficio
- g) apoplexia periodica.

## DESCRIPTIO SINGULARUM SPECIERUM.

1) Apoplexia ex suppressa vi cerebri vario modo provocari potest; obruto enim cerebro corporibus alienis, ad quae nimia etiam sanguinis et humorum copia pertinet, hae species prodeunt:

a) apoplexia sanguinea, in qua sanguinis stagnatio nimia et retentio adest, quae cerebri vim aut mechanice aut dynamice exstinguit. Facies valde rubro, saepe violaceo colore notata, dolores cervicis atque capitis pulsantes, conscientia turbata, saepe magna hilaritas, modo sensus hebefacti, modo acutiores, oculorum vel scotomata vel photopsiae, susurrus aurium, lingua haesitans et balbutiens, corporis, praecipue capitis, calor valde adauctus, pulsus magni, pleni, fortes, tardi, carotidum atque arteriarum temporalium pulsationes



magnae et evidentissimae, respiratio vehemens, crepitans, anxia, omnino magna aegrotorum anxietas, profluvium salivae ex ore spuma oblecto, vomitus, convulsiones musculorum singularium, praecipue faciei, saepe anguli oris distorsio. Morbo irritabilitas systematis vasorum, plethora, praecipue habitus apoplecticus, aetas provec-tior, nimii et corporis et mentis labores, plethora abdominalis favent; suppressae et retentae consuetae sanguinis evacuationes, ut menstruatio et haemorrhoides, acrium et excitantium remediorum atque potuum abusus, impeditus ex capite sanguinis refluxus, compressiones vasorum revehentium, nec minus aëris irrespirabilis inhalatio, morbum provocant. Morbi fastigium ut plurimum lethalem exitum sortitur, modo adhibitis auxiliis interdum mors arcetur; si secundum evenit, aut ad sanitatem reducitur, aut varios morbos secundarios relinquit, in quibus praecipue sunt paralyses varii generis, linguae, singularium faciei musculorum, extremitatum aliorumque organorum; nec minus mentis morbi, epilepsia, hydrops etc.

b) *Apoplexia serosa* praecipue e morbis praegressis dijudicanda erit, eandem enim primitus oriri non posse, facile est intellectu. Quae species pro exitu habenda est aliorum morborum, quos breviter afferre non inutile erit. Primum locum encephalitis tenet, quippe quae ad valetudinem non reducta exsudationes et inter-tunicas cerebri et in substantia et in ventriculis efficiat, ita ut cerebrum seroso aut purulento liquore impletum reperiamus, hydrocephalus acutus tali cerebri compressionem mortem affert; nec minus alii morbi materias noxias in cerebro deponere possunt, ut affectiones exanthematicae, rheumaticae, erysipelatosae. Dentitionis tem-



pus infantibus humorum congestionem ad caput adauctam infert, ex qua non raro apoplexia serosa evadit et quam pro valde acuto hydrocephalo habere debemus. Praestantissima symptomata sunt: dolores capitis, sanguinis congestiones ad caput nullae, facies pallida, febris inflammatoria remittit, pulsus debiliores, molliores et irregulares fiunt, calor diminuitur, sensibilitas antea nimis aucta in stuporem (25) transit, motus impeditus, respiratio levis sine singultu, deliria, sensationes fallaces, manus saepe ad caput admoventur, quorum symptomatum seriem aut varia paralysium genera aut, quod saepissime accidit, mors sequuntur.

c) Apoplexia ex compressione cerebri mechanica.

Substantiae cerebri vis vitalis et imperium cerebri in totum organismum corporibus alienis opprimitur, quae aut per violentiam externam calvariam penetrant, aut morbosam excitantia actionem, in ipsa cavitate cranii secundarios gignunt morbos. Insultus externi, ictus, lapsus, concussionem alique impetus aut ossa cranii deprimunt, aut ut corpora aliena in cerebri substantiam penetrent, eamque comprimant, efficiunt, aut inflammationes in exsudationem et ulcerationem transeuntes provocant, quae omnia et chemica et mechanica reactione functiones cerebri impediunt et suspendunt, quod serius ocus post laesionem fieri potest, dum symptomata compressionis cerebri, quae chirurgia nos docet, antecedunt (26).

2) Apoplexia nervosa.

Rarius, quam in apoplexia sanguinea, antecedunt

(25) Richter, specieller Therapie Bd. 8.

(26) Chelius, Chirurgie 1833. Bd. I. p. 212.



prodromi, quia morbus saepissime repente impetum facit. Hujus speciei essentiam in omni virium, praecipue systematis nervorum vis vitalis, consumptione ponimus, quam ob rem illa signa, quae in sanguinea apoplexia observantur, deficiunt; in illa suppressio cerebri, in hac vero consumptio vis vitalis accusanda est. Originem ex magno virium defectu ducens haec offert symptomata: sanguinis congestiones ad caput et vitia organica desunt, tota corporis constitutio magnam, ex morbis praegressis et sanguinis ceterorumque humorum evacuatione exortam, debilitatem et labem ostendit, systema nervorum prae omnibus ceteris praecipue irritabile est ideoque facillime ex toto conficitur. Duae sunt species discernendae:

a) apoplexia nervosa adynamica, sive asthenica sensu strictiori. Praeter signa memorata haec sunt notanda: saepe procedit ex febribus nervosis praegressis, ex copiosis sanguinis et seminis profluviis, ex nimis et corporis et mentis laboribus, tristitia, moerore, amore infelici similibusque animi affectionibus, quae supra relatae sunt. Totus aegroti habitus caducus, laxus, constitutio nervosa, ad spasmos et lypothymias propensio, labores exiguos facillime sequitur prostratio. Prodromi raro antecedunt, ut convulsiones musculorum faciei, dolores trahentes cervicis, tremor artuum, saepe labiorum, laxitas et frigus extremitatum, temperatura totius corporis diminuta et frigida, sanguinis circulatio suppressa; pulsus tardi, debiles, vacui, intermittentes, facies pallida, oculi languidi, respiratio placida, non anxiosa, donec, quod saepissime fit, omnis vita repente desinat, aut paralyses remaneant.



b) *apoplexia nervosa spastica* facile emergit ex praegressis animi affectibus excitantibus, spasmis, hypochondria et hysteria. Prodromi sunt: convulsiones artuum, tremor musculorum, praecipue faciei, spasmi organorum internorum, vesicae urinariae, oesophagi, ventriculi, pulmonum cordis etc. Pulsus spastici et irregulares, cutis sicca plerumque frigida, urina pallida et spastica. Rite curata rarius in mortem transit, sed facillime paralyses et propensionem ad morbos nervosos relinquit.

### 3) *Apoplexia mixta.*

Modo his modo illis praevalentibus causis procreatur, quas in descriptione singularum specierum accuratius enucleabo.

a) *apoplexia nervoso-sanguinea* saepe in suspensio relinquit, utrum in vasorum an nervorum systema transferenda sit culpa. Symptomata enim modo omnes apoplexiae sanguineae notas, modo pathematis nervosi signa imitantur, ut nil nisi conjunctionem utriusque speciei constituere possimus. Initium morbi variat (27): modo enim omnia apoplexiae nervosae exultae signa observamus, sed repente symptomata sanguineae omnia summa cum vi irruunt et cadaverum sectiones extravasationes in cerebro ostendunt (28), modo vero ad apoplexiam sanguineam nervosa symptomata accedunt, quae inter se alternant, ita ut nunc haec nunc illa principatum obtinere videatur. Denique sanguinem spasmis in cerebro retineri posse, nemo negabit.

(27) Richter, spec. Therap. I. c.

(28) Morgagni I. c. epist. anat. med. LX, art. 4. Zucchi I. c.



b) *Apoplexia ex commotione cerebri* orta variae esse solet indolis, commotio enim actionem cerebri repente eum in modum delere potest, ut sectio praeter collapsum nullam cerebri mutationem exhibeat; aut substantia cerebri in minimis particulis concussa et lacerata, aut vasorum ruptura cum sequelis suis exorta est. Commotio igitur cerebri vel statim exitum lethalem adducit, vel, quae in descriptione compressionis cerebri ex causa mechanica perspeximus, signa antea profert (29).

c) *Apoplexia ex vitiis organicis*, aut e variarum corporis partium functionibus suspensis originem ducit et plerumque ex sanguinis in cerebro accumulatione, id quod in systematis vasorum ipsius aut aliorum organorum, quae regularem sanguinis circulationem impediunt, morbis organicis praecipue accidit, derivatur, aut vis vitalis cerebri destructionibus adeo exhauritur, ut ad functiones sustinendas non sufficiat, quod ulcerationibus cerebri ipsius et tunicarum destructionibus effici novimus.

d) *Apoplexia metastatica*. Si in multis morbis signa critica, quibus resolvi solent, evanescent, ut in variis exanthematibus, arthritide, rheumatismo aliisque, sudoris et aliarum excretionum suppressionem saepissime apoplecticam cerebri affectionem sequi videmus. Plerumque huic speciei apoplexiae sanguineae indoles est et sectiones plurimis in casibus cerebrum sanguine aut sero obrutum demonstrarunt; nonnulli vero auctores hanc

---

(29) Samuel Cooper's neuestes Handbuch der Chirurgie Bd. 2. p. 519. Chelius Chirurg. Bd. 1. p. 215.



non solum morbi causam esse existimant, sed simul humorum acrimoniam accusant (30).

Plerumque apoplexiae metastaticae, id quod saepissime in exanthematibus febrilibus et acutis evenit, stadium inflammatorium antecedit, ex quo morbus exquisitus procedit. Praeter apoplexiam sanguineam quoque nervosam metastasibus provocari, quod praecipue in febribus typhosis accidat, Richterius contendit.

e) Apoplexia gastrica per longius aut brevius tempus vel per sanguiferorum vasorum systema, vel per nervorum vitam prodromos ostendit. Causis gastricis, bilis acrimonia, vermibus, aut sanguinis circuitus in abdomine perturbatur, unde congestiones ad caput oriuntur, aut plexuum abdominalium vita indeque per consensum cerebri actio, opprimuntur. Prodromi frequentissimi hujus speciei sunt: vertigo, palpitatio cordis, repentina amaurosis oculorum alterna (31), vomitus, lipothymiae; morbus ipse aut insultu sanguineo aut nervoso, aut utroque mixto, aut morte, aut morbis secundariis, in quibus paralyses primum obtinent locum, finitur.

f) Apoplexia ex veneficio, cujus essentiam duabus in causis positam esse, auctores contendunt: primo enim venena tantam sanguinis irritationem tantamque ad caput et medullam spinalem congestionem procreare possunt, ut apoplexia ex nimia oppletionem et compressionem incidat; deinde acri atque narcotica materia a sanguine resorpta systematis nervorum et cerebri vitam per se perdi, itaque mortem apoplexia nervosa

---

(30) Weickart, vermisch, med. Schriften Th. 1. p. 83.

(31) Richter l. c.



provocari dicunt; denique reactio in materiam peccantem constitutione aegroti modificari potest, quo in casu, systematis nervorum receptivitate minus exaltata, apoplexia sanguinea, contra autem, nervorum debilitate praevalente, nervosa sequitur apoplexia, id quod cadaverum sectione manifestatur, nam in illis, qui apoplexia eadem ex causa defuncti erant, modo in cerebro extravasata (32), modo cerebri laxitas (33), inventa sunt.

g) Apoplexia periodica retentis solitis evacuationibus, ut menstruatione, haemorrhoidibus, gignitur, aut in febrium intermittentium paroxysmis observatur, ita quidem ut primus, aut qui sequuntur insultus, exitum lethalem sortiantur.

### PROGNOSIS.

In universum apoplexia morbus est gravissimus, etenim mors, si non primo, sequentibus tamen insultibus plerumque inducitur, aut paralyses totum organismum valde pessumdantes remanent. Malam igitur me morbi prognosin promulgare, nemo vituperabit. Decursus morbi in constituenda prognosi respiciatur oportet, eo enim periculosior est, quo ille celerior. Quod ad constitutionem aegroti pertinet, habitus apoplecticis nullo modo curationi favet, aequae ac aetas provectior atque vitia organica. Mali quoque ominis sunt: Magna in cavitate cranii extravasatio, cerebri ulcerationes atque destructiones ipsius et tunicarum, affectiones psychicae vehementes, sudores frigidi, respiratio singultuosa et difficilis,

---

(32) Wepfer l. c. obs. 1.

(33) Morgagni l. c. epist. III, art. 6.



magnus soporis gradus, paralyse sphincterum, intercurrentes convulsiones et spasmi, lipothymiae pertinaces, os multum spumans, magnum sanguinis detrimentum, oculi lacrymantes, retentio clysmatum applicatorum. Quod ad pulsum pertinet, non semper signum certum gravitatis morbi exhibet, quibusdam enim in casibus pulsu regulari et parum abnormi periculum majus (34), quam intermittente et irregulari. Porro considerandum est, utrum causae faciles sint remotu, nam eo minor sanationis spes est, quo difficilius illae auferuntur. In apoplexia sanguinea, quae, si non malam semper, tamen valde ambiguum prognosin admittit, eo minus desperandum erit, quo minus habitus apoplecticus excultus est. Fere semper, nisi primo, sequentibus tamen insultibus, exitum lethalem inducit, in sanitatem autem restituta plerumque paralyse relinquit, multo minus laeta spes in apoplexia nervosa affulget, quod partim decursus ejus multo est rapidior, partim systematis nervorum vita prostrata et propter morbi naturam et decursus brevitatem restitui nequit. Bonum exitum sperare licet, si apoplexiae gastricae aut ex veneficio ortae causas auferre possumus, si crises metastasibus suppressae revocantur; si cerebri paralysis diminuitur et quasi in nervorum partes minoris dignitatis defertur, vita saepe sustentatur.

### CURATIO.

In morbo tam gravi curando summo medici studio opus est et cum curatio non solum apoplexiae essentiam, sed etiam totam causarum syndromen amplecti

---

(34) Burserius, inst. tom. IV. p. 78.



debeat, rite in prophylacticam et therapeuticam medicationem dividitur.

### a) Curatio prophylactica.

Contemplantes tot varias apoplexiae species et tantam causarum copiam, specifica apoplexiae remedia non existere, facile largiemur, minime enim, ut exemplo utar, apoplexia sanguinea iisdem remediis, quibus nervosa, sanabitur, sed medela hoc in casu salutaris, in illo periculosa erit. Optimam apoplexiae prophylaxin vita et corporis et animi idonea exhibet. In cibis capiendis temperantiae studeat, ne ventriculum eorum mole obruat; quod ad indolem eorum pertinet, cibi eupepti sint, ne flatus et obstructiones adducant; alvus ad normam adaptetur et, si opus est, arte solvatur. Potus excitantes et spirituosos, ut vinum grave, spiritus frumenti, cerevisiae excitantes aut parcius capiantur aut omnino vitentur, prout curatio specierum singularum expostulet. Aquae fontanae usus saluberrimus quidem est, si recte administratur, nocebit vero, si modum excedimus, ita ut operationes ventriculi, digestionis turbationes aut alia apparatus alimentarii vitia oriantur; imo potus hujus saluberrimi abusus mortem inducere potest. Acidulorum potuum usus ad sanguiferorum vasorum systema erigendum atque roborandum, nec minus ad vitam systematis nervorum incitandam, saepe utilissimus est. Cautè tamen adhibeantur, quum facilius etiam, quam aqua frigida, indigestiones et saburras provocare totumque intestinorum opus magnopere frangere possint. Post unamquamque coenam digestio corporis motibus adjuvanda est, ut, assimilationis organorum actione aucta et san-



guinis circulatione per omnes corporis partes aequabili-  
 liori, stagnationes in nobilioribus partibus tollantur et  
 nimia venositas diminuatur. Valde autem cavendum est,  
 ne post tales motus corpus aestuans refrigerationibus  
 atque aëris perflatibus committatur; duplex enim cor-  
 pori tunc periculum imminet, nam aut cutis exhalatione  
 et evaporatione intercepta sudores supprimuntur, aut  
 sanguis per partes externas aequabiliter distributus re-  
 pellitur et nervorum centralium affectiones excitat.  
 Somnus qui omnes functiones vitales roborat, ab homi-  
 nibus ad apoplexiam opportunis ita capiendus est, ut  
 usum debitum praestet, somnus ergo nimis longus sana-  
 tionem non adjuvabit, quod inde congestiones ad nervo-  
 rum partes centrales oriuntur, et inter ipsum somnum  
 saepe necant. Cubile, in quo requiescit, ne nimis cale-  
 faciat aegrotum, videndum est, sit igitur modice frigi-  
 dum. Et corporis et animi occupationes ne repente in-  
 terrumpantur caveamus, sed aegrotus ab iis ad quietem  
 aut ab hac ad negotia sensim transeat. Vestes sint le-  
 ves, neque unquam vel totum corpus vel singulares  
 partes comprimant aut calefaciant, attamen et corpus a tem-  
 pestatis injuriis tueantur et cutis evaporationem sustineant.  
 Excessus in Venere praecipue aetate proveciori, per-  
 inde ac omnia sensuum incitamenta nimia vitanda sunt.  
 Animi tranquillitas concilietur et affectiones cujuslibet  
 generis caveantur, quarum major gradus aut oppletiones  
 vasorum cerebri, aut repentinam actionis nervosae sup-  
 pressionem efficere potest. Porro cavendum est, ne so-  
 litae evacuationes retineantur aut interrumpantur, hac-  
 morrhoides et menstruatio bene sunt componendae et  
 sustinendae, sudores partiales non repellendi, exanthe-



mata et acuta et chronica caute curanda. Epispastica solita non omittenda, omissa statim restituenda sunt. Situs humilior superiorum corporis partium praecipue in somno, quo praeterea humorum ad caput impetus adaugetur, maxime vitandus est. Detractiones sanguinis citra indicationem et nimis frequenter adhibitae non modo non usum, sed periculum saepe afferunt, in altera enim parte nimia sanguiferorum vasorum irritabilitas, in altera, id quod multo magis timendum est, debilitatio facillime oritur, quae, ut antea diximus, semper pejorem reddit prognosin. Etsi parcae sanguinis missiones, saepius repetitae, in casibus quibusdam saluberrimae sunt, tamen aegrotus iis non adsuefaciendus est, sed utamur iis, cum regularia aut habitualia profluvia suppressa sunt. Non minus remediorum laxantium et drasticorum abusus vituperandus est, partim enim permagna tractus alimentarii debilitatio, partim excitatio universa, quarum utraque timenda est, facillime iis provocatur.

Alvus obstructa cienda quidem, sed remedia circumspecte eligenda sunt: purgantia frigida et temperantia vasorum irritabilitati, majori torpori excitantia respondent. Emetica, ubi congestiones ad caput exstant, timenda et caute adhibenda sunt.

#### b) Curatio therapeutica.

##### 1) Apoplexia ex suppressa vi cerebri.

###### a) Apoplexia sanguinea.

Omnes causae occasionales removendae sunt, inprimis vestes sanguinis circulationem impedientes, suspensi vinculis liberandi, collaria et strophia solvenda, aegroti situs ita est instituendus, ut caput allevetur, inferiores corporis partes, praecipue pedes, dependeant; tempera-



tura aegrotum ambiens sit frigida, praecipue capitis integumenta auferantur, pedes vero calidis stragulis tegantur. Tunc statim sanguinis detractiones instituantur, venaesectio satis larga ex tali venae apertura, ut sanguis forti impetu profluat, quod duplicem praebet usum: nam sanguis et sufficiente quantitate et justa celeritate, qua derivatio a cerebro fit, emanat. Venaesectio plerumque in brachii venis instituitur, multo vero majorem esse utilitatem puto, si, ut Rustius et alii (35) suadent, aut arteria temporalis in gravissimis casibus, aut vena jugularis externa aperiantur. Utraque sanguinis missio magni momenti esse mihi videtur, nam arteriotomia sanguinis congestionem ad caput statim impedit et sectio venae jugularis eam ob rem venaesectioni in brachio praefenda est, quod legum physicarum imperium in sanguinis circulationem omnino negare non possumus. Quam universam sanguinis detractionem localibus adjutori, hirudines in regione temporum, praecipue in orbitae angulo interno, aut pone aures, tum cucurbitas (36) in cranio capillis liberato ponamus, quae vero universales sanguinis detractiones sequi debent, ne congestiones ad caput augeantur. Post suppressas haemorrhoides et menstruationem in pedibus venaesectionem institui, utilius est. Sanguine autem sufficiente et pro rerum conditione aut semel aut saepius detracto, fomentationes frigidae (37) ad caput applicandae sunt, prae-

(35) Weickart, vermischte Schriften. Bd. 2. p. 24.

Callisen, System der neuesten Wundarzneikunde.

(36) Conradi in Hufelands Journal. Bd. 6. H. 3. p. 449.  
Dreyssig l. c. 181.

(37) Thilen, Bemerk. Bd. I. p. 62.

Schäffer, Versuche p. 38.



cipue ex aqua et aceto, aut fomentationes frigidae Schmuckeri, aut e nivibus et glacie. Cui negotio strenue operam navare debemus, nam sine ulla intermissione fomentationes sunt instituendae, quia calefactae potius irritationem quam derivationem efficiunt. Sanguinem a cerebro derivatum ad alias easque remotas corporis partes deducere studeamus, quem in finem pediluvia calida, cum seminibus sinapeos et cinere, vel cum Kali carbonico, vel Liq. Kali caustici etc. parata, frictiones plantarum pedum, sinapismata ad suras, laudanda sunt. Sanguinis circuitus et ad abdomen adducatur et in abdomine expediatur, faeces expellantur clysmatibus excitantibus et acribus, ex aqua cum aceto et sale paratis, aut ex sapone cum oxymelle Squillae, aut e solutione Tartari stibiati cum Nitro. Ad usum internum medicamenta sanguinis a cerebro derivationem ad inferiores corporis partes adjuvantia et congestionem humorum ad remotas partes efficientia imperentur. Potissima sunt: Tartari stibiati eae doses, ut vomitus caveatur; adjungantur purgantia, temperantia et derivantia. Natrum sulphuricum, Magnesia sulphurica, decoctum fructuum Tamarindi, porro commendantur sales refrigerantes: Tartarus depuratus, Kali nitricum, praeterea aqua aceto commixta, succus Citri cum aqua et saccharo, Acidum tartaricum, refrigerantes plantarum succi, serum lactis. Quae curationis methodus, dum sanguinis irritationes et congestiones perdurant, continuetur, considerataque corporis constitutione et morbi gradu, remedia dicta magis minusve fortia adhibeantur. Statu autem soporoso resistente et conscientia haud redeunte, extravasatio in cerebro suspicanda et curatio ad hanc accommodanda est,



Cum methodo antiphlogistica tunc conjungatur methodus leniter incitans; solutio exhibeatur Tartari stibiati aut Kali nitrici in infuso leviori florum Arnicae simulque epispastica propius ad cranium applicentur, frictiones dorsi, sinapismata, emplastrum Cantharidum, unguentum Tartari stibiati, cauterium, fonticuli, setacea, in usum vocentur. Quae vero ne nimis mature adhibeamus, et periculum majus afferamus cavendum est. His remediis neque sufficientibus, neque congestiones provocantibus, ad fortiora excitantia interna, sed caute, progrediamur: infusum radicis Valerianae, radicis Ipecacuanhae, Castoreum, Moschum, Spiritum sulphurico-aethereum, Spirit. muriatico-aethereum, Liquorem Ammon. succinic. aliaque nervina et excitantia praebeamus. Morbo ad sanitatem reducto, plurimum operae, ne novus impetus oriatur, dandum est, praecipue post restitutionem, ne systema sanguiferum aut corporis aut animi affectionibus excitetur, cavendum et si opus sit, statim sanguinis detractio est instituenda. Morbo feliciter superato epispastica, ut fonticuli aut setaceum in cervice sustineantur, omnis in cibo et potu excessus studiosissime vitetur, evacuationes, praecipue alvi non negligantur, haemorrhoides et menstruatio non supprimantur, sed sustententur. Balnea calida caute adhibeantur et paulatim frigidis permutentur, ut tonus totius corporis, praecipue vasorum adaugeatur; interna remedia, eundem effectum praestantia, ut tonica adstringentia, China et postremo Ferrum, praescribantur.

b) Apoplexia serosa.

Curatio plerisque in casibus antecedentem inflammationem debellari jubet, apparatus igitur antiphlo-



gisticus adhibendus est. Venaesectiones, hirudines, cucurbitae ad caput, interne remedia antiphlogistica, Hydrargyrum muriaticum mite, Kali nitricum, Tartarus depuratus, Tartarus stibiatus, Magnesia sulphurica aliaque hujusmodi sunt administranda. Exsudationem majorem, quamquam exigua cum spe, methodo antiphlogistica cum excitante conjuncta, impugnemus. Florum igitur Arnicæ infusum cum Kali nitrico, cum Tartaro stibiato et oxymelle Squillae, fracta inflammatione emetica e Tartaro stibiato, Ipecacuanhae parvae doses, Sulphur stibiatum aurantiacum cum Hydrargyro muriatico miti, aut cum Camphora, Moschus adhibeantur, simul derivationes ad anum remediis drasticis, ut Gummi guttae, Herba Gratiolae, Hydrargyro muriatico miti cum Jalappa, ad pedes autem pediluvii calidis atque acribus efficiantur. Remedia externa inflammatione adhuc vigente fomentationes praebent frigidae capitis et epispastica ad cervicem et dorsum applicata.

### c) Apoplexia ex compressione cerebri mechanica.

Qua in specie saepius inflammatio antecedens apparatu antiphlogistico, sanguinis detractionibus et remediis internis antiphlogisticis, fomentis frigidis impugnanda, corpora aliena in substantiam cerebri penetrantia caute removenda, tumores cerebrum comprimentes atque ossa cranii depressa auferenda sunt, quam ob rem trepanatione saepe opus est. Extravasata, praecipue inter cerebrum et duram matrem atque ceteras cerebri tunicas, aut trepanatione aut resorptione pelluntur.

### 2) Apoplexia nervosa.

Quum in duas species dividatur, ad harum essen



tiam curatio adaptanda est, nam totam systematis nervorum vitam aut omnino deletam, aut spasmo suppressam videmus.

a) Apoplexia nervosa adynamica, s. asthenica sensu strictiori, interituram cerebri vitam servari jubens, hoc modo tractanda est: primum, utrum cerebrum re vera debilitatum, an deuteropathice congestionibus oppressum sit, perscrutandum est; hac de re, priusquam essentiam morbi aggrediamur, interdum parcae sanguinis missiones instituendae, dein remedia excitantia adhibenda sunt, sed gradatim, ne statim a fortioribus ordiamur, facillime enim hac ratione ista omnino deletur. Quam curandi methodum si sequimur, antiphlogistica leniora, ut Tartarum depuratum, Tartarum natronatum, succum Citri, commendabimus, tunc ad remedia excitantia transibimus. Antea vero variarum causarum ratio habenda est: nimiae sanguinis evacuationes, prout natura earum fert, sistendae, omnes secretiones et excretiones sustinendae sunt. Omni sanguinis congestionem a capite depulsa, ad remedia excitantia gradum faciamus: ad infusum Valerianae, Florum Arnicae, quibus acida adjungimus, ut: Acidum sulphuricum dilutum, Mixturam sulphurico-acidam, Tincturam aromaticam acidam, Acetum aromaticum, Acidum aceticum, Acidum muriaticum; porro ad Ipecacuanhae parvas doses, ad Angelicam, Serpentariam, Camphoram, Olea aetherea, Oleum animale aethereum, Liquorem Ammonii carbon. pyrooleosi, Liq. Ammon. succinic., Ammonium carbonicum pyrooleosum, Vinum excitans, Tincturam Ambrae, Aetherem sulphuricum et aceticum, Aeth. phosphoratum, Moschum. Externe fomentationes aromaticae calidae capitis, infu-



sum florum Chamomillae, Arnicae cum Vino, Camphora adhibeantur; epispastica capitis viciniae aut huic ipsi imponantur; porro vesicantia et sinapismata ad cranium capillis liberatum applicata, ferrum candens, moxa, frictiones dorsi, regionis cardiacae et extremitatum; lotiones faciei et temporum e vino, spiritu frumenti, superfusiones frigidae etc. utilia sese praestant: praeterea irritationes tunicae mucosae narium titillando et odores acres admovendo negligendae non sunt.

b) *Apoplexia nervosa spastica.*

Causae, plerumque transitoriae, ut vehementes animi affectiones, removendae, tunc antispasmodica remedia eligenda sunt, in quibus Chamomilla, Valeriana, Vinum, Asa foetida, Oleum animale Dippelii, Ipecacuanha, Zincum sulphuricum, Cuprum sulphuricum, Castoreum, Aetheres, Moschus, praeparata Ammonii, Opii minores doses, clysmata excitantia primum locum tenent. Praeterea supra dicta epispastica adhibere licet. Insultu apoplectico prospere finito, dispositio apoplectica, hypochondria, hysteria et ad spasmos propensio sunt tollendae.

3. *Apoplexia mixta.*

Nec generalis hujus speciei curatio proponi, nec aliud in universum, quam ut causae removeantur, definiiri potest. Quo modo ergo variae species pro sua indole tractandae sint, videamus:

a) *Apoplexia nervoso-sanguinea.*

Morbi hujus symptomata tam varia se ostendunt, ut medicus maxima tantum providentia indicationes constituere possit. Praevalente sanguinis congestionem, modicas sanguinis detractiones instituat, ita tamen, ut statu nervorum asthenico aut spastico postea accedente, aegro-



tus non nimis sit debilitatus. E contrario stadium maximae cerebri oppressionis antecedere posse, quod congestiones sequantur, ex descriptione morbi vidimus; hoc in casu cautus remediorum excitantium et nervinorum usus sit. Congestionibus ad caput per debilitatem et spasmus systematis nervorum adductis, curatio antiphlogistica cum excitante et antispastica conjungatur.

b) *Apoplexia ex commotione*

aut per se cum extravasatione conjuncta est, quamobrem pro gradu vario modo curetur. Irritatione cerebri vigente, fomentationes capitis frigidae, exiguae sanguinis detractioes instituendae sunt; pulsibus vero debilibus, facie pallida atque frigida, venaesectiones vitandae et excitantia remedia, Valeriana, Arnica, Vinum, Aetheres, Ammonii praeparata, Moschus, infricationes spirituosae, epispastica, vesicatoria ad caput applicata, in usum vocanda sunt. Quibus autem remediis si pulsus irritantur et duriores redduntur, statim ab hac agendi methodo abstinendum et antiphlogistica administranda sunt. Status gastricus et ventriculi oppletiones remediis purgantibus et emeticis, quorum secunda propter sanguinis congestiones ad caput facile orientes caute praebenda sunt, statim tollantur (38). Ceterum Tartarus stibiatus non solum vacuefaciendi ventriculi causa, sed etiam quod plexus nervorum abdominalium excitat eoque modo a capite derivat, commendandus est.

c) *Apoplexia ex vitiis organicis.*

Hujus prognosin malam esse constat. Vitia organica aut in cranii cavitate, aut in aliis corporis partibus (39)

(38) Chelius, Chir. Bd. I. p. 217.

(39) Richter, spec. Ther. Bd. 8.



plerumque ea adsunt, ut raro iis mederi possimus. Ossificationes durae matris, vasorum majorum capitis, enostoses, curationem causae proximae, inprimis arthritidis atque syphilidis, poscunt. Vitia organica cordis non majorem sanationis spem praebent; curatio prophylactica parvas venaesectiones, deinde herbam *Digitalis purpureae* desiderat, regimen vitae aegroti et in cibis atque potibus capiendis et in affectionibus providum sit. Hypertrophias, indurationes et destructiones viscerum majorum abdominis, quibus vasa comprimuntur, hirudinibus, cucurbitis, unguento hydrargyri cinerei remediisque internis resolventibus sanare conemur. Impetum apoplecticum ipsum secundum suam indolem curemus, irritationis signis methodo derivante et antiphlogistica, nervosis atque spasticis affectionibus remediis nervinis atque antispasmodicis jam antea memoratis occurramus.

#### d) Apoplexia metastatica

plerumque aut sanguinea aut nervosa apparet. Indicationes sunt duae: irritatio cerebri deprimenda et affectiones primariae, ut exanthemata acuta vel chronica, crises multorum morborum, praecipue rheumatismi et arthritidis, atque depositiones eorum, revocandae. Quod ad primam indicationem attinet, curationem antiphlogisticam venae-sectionibus, hirudinibus atque internis antiphlogisticis exsequamur, ita tamen ut corpori hoc modo debilitato satis adhuc virium ad crises perficiendas supersit. Haemorrhoides suppressas et menstruationem retrogressam venaesectione in pede, hirudinibus ad anum, ad labia pudendi atque ad femora adhibitis restituere aut saltem supplere studeamus; exanthemata reperiussa administratis balneis aut universalibus aut localibus calidis, vel irri-



tamentis ad primitivum exanthematis locum, sinapismis, vesicantibus, unguento Tartari stibiati, fonticulis atque setaceis revocemus, interne diaphoretica adhibeamus, ne irritationem vasorum sanguiferorum proferamus, valde caventes.

e) *Apoplexia gastrica*

aut statim post coenam nimis obruto ventriculo, aut aliquot horis post oritur. Quo cum statu plerumque magnae sanguinis ad caput congestionibus sunt conjunctae, quas ante omnia sanguinis detractionibus mitigari oportet, quo facto celerrime emeticum ad materias evacuandas porrigatur. Tempore aliquo post coenam elapso, ab emetico abstinendum est, quia cibi jam inferiores tractus alimentarii partes petierunt et in emeticorum locum purgantia et clysmata substituenda sunt. Utilissima clysmata ex herba Gratiolae esse, Jahn contendit (40).

f) *Apoplexia ex veneficio.*

Narcoticis atque acerbis provocatur remediis, quibus praecipue Opium, Belladonna, Conium maculatum, Stramonium, Lolium temulentum, Secale cornutum, Acidum hydrocyanicum atque permulti agarici venenosi adnumerandi sunt. Ante omnia cerebri status explorandus atque pro rei natura curandus est. Magnis congestionibus exortis, statim antiphlogistico apparatu utentes, venae-sectiones, hirudines, superfusiones atque fomentationes frigidas adhibeamus. Postquam hac ratione indicationi vitali satisfacimus, causam ipsam aggredientes, evacuandi causa emetica praebeamus, e quibus praecipue Zincum sulphuricum commendandum est, cum Tartarus stibiatus

---

(40) Jahn, medic. Klinik d. chron. Krankh. Bd. 1. p. 374.



saepius evacuationes per anum provocet. Zincum sulphuricum magnis dosibus, quod narcotica sensibilitatem tractus alimentarii nervorum debilitant, praescribendum est:

℞ Zinci sulphuric. ℥℥

solve in

Aquae destillatae ℥iij

Pulver. Rad. Ipecac. ℥℥

M. D. S.

Hujus mixturae bene agitatae quavis sexta horae parte cochlear majus porrigatur.

Cuprum sulphuricum minus commendandum est, quod minores doses effectum expectatum non praestant, majores autem facile gastritidem atque enteritidem efficiunt. Omnibus materiis noxiis evacuatis (41), coffeae infusum fortius, decocta Gallarum et Corticis Quercus, acida vegetabilia, succum Citri, Acidum aceticum, serum lactis acidum, quae omnia et per clysmata applicari possunt, adhibeamus. Cerebrum debilitatum atque oppressum excitantibus remediis, Valeriana, Aethere, Vino, Camphora, Liquore Ammonii caustici, Moscho reficiatur.

#### g) Apoplexia periodica.

Febris intermittens malignae paroxysmos interdum comitatur, radicalis igitur curatio febrem intermittentem depellat. Congestiones ad caput in paroxysmo ipso venae sectionibus atque methodo antiphlogistica tollantur; status nervosus remediis nervinis atque antispasmodicis debelletur; novus paroxysmus uberioribus Chinae dosibus caveatur.

---

(41) Orfila, Toxicologie; aus dem Franz. übers. v. Hermbstaedt, Berlin 1817. Bd. 3, p. 350.



## V I T A.

---

Ego Carolus Augustus Henricus Bodinus, ecclesiae evangelicae addictus, die vicesimo nono mensis Julii a. MDCCCXIV natus sum Dreveloviae, qui pagus prope Anclamiam, Pomeraniae urbem, situs est, patre Fridrico Bodino, quem mortuum a decimo octavo aetatis anno quam maxime lugeo, matre Joanna, e gente de Weltzien, qua viva adhuc gaudeo. Primis literarum elementis a viro dilectissimo atque maxime venerando Steinmetz, verbi divini ministro Baldecoviae, Pomeraniae pago, instructus Gymnasium, quod Neobrandenburgi floret, per aliquot annos frequentavi, unde anno decimo sexto aetatis ad gymnasium academicum Sedinense me contuli, quod testimonio maturitatis ornatus anni millesimi octingentesimi tricesimi tertii tempore paschali, Almam Gryphiam petiturus, reliqui. Ibi a Rectore t. t. magnifico Ill. Barkow in civium academicorum numerum receptus, albo Ordinis medici a Decano t. t. spectabili Ill. Seifert inscriptus sum.

Scholae, quibus interfui, hae sunt: Encyclopaediam et Methodologiam me docuit Ill. Seifert; Mineralogiam, Chemiam theoretico-practicam Ill. Huenefeld; Logicen Ill. Erichson, Psychologiam Ill. Stiedenroth; Historiam naturalem universam et Botanicen generalem Ill. Hornschuch. Demonstrationes corporum naturalium in museo zoologico, Excursiones botanicas et demonstrationes plantarum in horto botanico instituit Idem; Physicen et theoreticam et experimentalem Ill. Tillberg; Osteologiam et Syndesmologiam, Anatomiam corporis humani atque artem cadaverum rite secandorum, Physiologiam, Anatomiam comparatam et pathologicam me docuit Ill. Schultze; Pathologiam generalem, Semioticen, Materiam medicam, Methodum formulas medicas concinnandi, Artem fascias rite alligandi, Medicinam forensem Ill. Seifert; Angiologiam, Neurologiam et Splanchnologiam Cel. Laurer; Doctrinam de ossium fracturis et luxationibus, ophthalmiatricen Cel. Kneip; Chirurgiam generalem et specialem atque Akiurgiam



Ill. Mandt; Therapiam generalem, Pathologiam et Therapiam specialem, Artem obstetriciam, Pathologiam et Therapiam morborum psychicorum Ill. Berndt.

In Clinico medico et obstetricio Ill. Berndt, in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Mandt et Cel. Kneip mihi duces fuere.

Tempore paschali anni millesimi octingentesimi tricesimi sexti Universitatem Fridericam Guilelmam petii, ubi a Rectore t. t. Magnifico Ill. Busch numero civium academicorum et a Decano maxime spectabili Ill. Mueller medicorum ordinis albo adscriptus sum.

Ibi frequentavi praelectiones de Anatomia corporis humani Ill. Mueller; in clinicis medicis Ill. Bartels et Cel. Wolff, in clinico chirurgico Ill. Rust, in Clinico ophthalmiatrico Ill. Juengken, in Clinico obstetricio Ill. Busch mihi duces fuerunt. Per annum vitae academicae ultimum chirurgi munere fungens in turma regia equitum hastatorum voluntaria stipendia feci.

Omnibus viris Illustrissimis et Clarissimis, praeceptoribus honoratissimis quam maximas ago gratias semperque eorum memoriam pio ac grato animo venerabor.

Jam tentamine philosophico nec non medico examineque rigoroso feliciter superatis atque absolutis, spero fore, ut defensa dissertatione, summi mihi deferantur in medicina et chirurgia honores.

---

## T H E S E S.

---

1. Pneumoniam veram Tartarus stibiatus solus tollere nequit.
2. Arteriotomia non eo prodest, quod sanguis mittitur sed quod ejus impetus arcetur.
3. Iridectomia ceteris coremorphoseo methodis praeferenda.
4. Crusta inflammatoria non certum inflammationis signum.

















